

C. 29. p. 65. edit. Vorstii conf. & Raymund. Pug. Fid. Part. 3. Dist. 3.
C. 1. p. 784. edit. Lipsiens. Spanhem. in Dub. Evang. Part. 2. p. 558.
sed propria & corporali. (3.) Non de toto actu Sacramentali,
qui apud Gentiles, cum eorum circumcisio verbo divino &
promissione, gratiam sanctificantem conferente, fuerit desti-
tuta, exulavit, sed de sola tantum præputii præcisione. (4.)
Non, utrum post institutionem divinam apud Gentiles fuerit in
usu, sed an fuerit ab initio ante tempora Abrahami ab Ægyptiis
usurpata, ab iisq; ad Abrahamum, Hebraeos & ad alias gentes de-
rivata. His præsuppositis, jam dico: *Circumcisio non ab Ægy-
ptiis ad Abrahamum aliasque gentes est derivata, sed cum Abra-
hamo primum cœpit.*

§. 3. Probatur nostra sententia (1.) ex *Institutione circumci-
sionis, ab ipso Deo facta Gen. XVII. 10.* Exponitur hic novum ali-
quod & plane singulare fœdus, quod DEUS cum Abrahamo
ejusq; posteris ao. mundi 2048. secundum *Schraderi Tab. Chron.*
& ætatis Abrahami 99. iniit, ut nempe omnis mas die 8. cir-
cumcideretur. Non est, ut pluribus hoc dictum deducamus,
cum orium hic nobis fecerint *B. D. Seb. Schmid. in Tract. de Cir-
cumcis. p. 166.* & *B. M. Christian. Lofervitz / tribus Diss. Philolog.*
Witteberge habitis anno 79. de Circumcisione Judæorum, aliique.
Nullam vero Deus habuit causam, cur hunc circumcidendi ri-
tum ab Ægyptiis mutuaretur. Nec enim *Abrahamus*, fidelissi-
mus DEI servus, tetricas Ægyptiorum nãias tanta imbiberat
cupiditate, ut ab iisdem abduci plane non potuerit, nisi DEUS
hujus ceremoniæ indultu ipsi velificaretur, id quod de Hebræis
sequioris ævi asserunt *Marshamus & Spencerus.* Verum cum
soliis Dei voluntatem & nutum diligentissime semper sit secu-
tus, non nisi divino mandato induci potuit, ut circumcisio-
nem, non ex corrupto cultus Ægyptiaci fonte, sed divinæ sapi-
entiæ penu profluentem, in se susciperet. Conf. & hic contra
Marshamum Sam. Basnage in Exerc. Historico-Critic. p. 119. Re-
gerit è contrario *Marshamus p. 75.*, ex hoc loco non probari,
Abra-